

Vc  
3828





h.

I





h. 33,41

Vc  
3828

# EPISTOLA

SCRIPTA AD DOMINUM

D. HOE, &c.



ANNO

---

M. DC. XXI.

Muy illustres varones de su voluntad, y no por necesidad, dexaron las cortes, y se retraxeron a sus casas.







2

NOBILLI ET RE-  
VERENDO VIRO, MATTHIÆ  
HOE AB HOENEG, THEOLOGIÆ DOCTO-  
ri celeberrimo, ELECTORI Saxonix à concionibus  
primariis aulicis, & consiliis Ecclesiasticis, Do-  
mino Amico, & in Christo Fratrimco  
honorando.



SALUTEM à SALUTIS FONTE.



*Uc etiam, Reverende Domine Do-  
ctor, penetravit se correctionis, ac pœ-  
nitentiæ tuæ fama, quam seriam in te esse  
audio, & audio cum animi motu.*

*Unde scriptionis hac penna ad te quin  
evolarem mihi temperare nequivi, & juxta innotesce-  
rem, quod apud quemvis non ambiam, apud te etiam  
optem. In amicitis enim non valde mihi placeo, aut læ-  
tor, ad quietem propensus, & obscuritatem; in tua etiam  
triumphabo, affatimque, & largè gaudebo. Ita multa  
enarrant literæ istæ tuæ ad Archipræsulem Mogunti-  
num exaratae depositis veteris tuæ cutis exuviis, sicut  
Germaniæ dignitas, ad quam referre decet omnes cu-  
ras, & tua quoque gloria, utilitas dudum postularat.*

Eu.





3

Eucharri Martini *litteras te convertisse credo.*

*Persevera, & ride πολυπεριγυρισ quosdam Antistites, Sacerdotes, qui nihil agunt, & nusquam reperiuntur, dum omnia tractare, omnib. se negotiis immiscere, & ubiq. esse volunt. Inter hos Tressem istum Theologum, qui nuperime Trigam questionum politicarum ex S. Scriptura sibi visus est decidisse contra Bohemos. Etenim sub pessimo Praeceptore instituti sunt, & edocti, Christum non satis potentem fore propriis opibus, non satis ornatum, non satis splendidum, nisi laicus tyrannus aliquid impertierit suae potestatis, nisi prophanus bellator aurum, satellitum illi indulserit, hoc est, aliquid de suo fastu, vanitate asperserit. Quin ultra vires sapiunt, & quorum professio illa est propria, iis in faciem resistunt, sicut novissime Clariss. Tubingensium J.C. Befoldus in Synopsi doctrinae politicae defendit, ubi princeps extra Remp. superiore quidem caret, in ipsa tamen Repub. sua vel Ephoros, vel leges fundamentales habet; ibi in ordinum potestate situm esse providere, ne Respub. licentia principis capiat detrimentum. Quis non animum a dissentientibus avertat? Quomodo eorum favor non magnopere quassetur? Sed una accipe, daq. fidem, imo amorem, quem coibimus auspiciis, & testibus excellentissimis Viris Joh. Majore, Johan. Gerhardo, Johan. Himmelio, & Wolfgango Heidero, Professoribus illustrissimae Ienensis Academiae dignissimis, qui in haec verba ad Generosiss. Dn. Joachi-*



4

munum Andream Schlick ante duos annos inter cæ-  
tera scribserunt; Scribimus, inquit, quæ vera, quæ pic-  
tati consentanea, quæ his & locis, & temporibus accom-  
modata, quæ Ecclesie & incitamento majorem ad vigi-  
lantiam, & præsidio in tuendo capite suo, & solatio in re-  
bus adversis sunt futura. Quæ interdum liberè, & duri-  
usculè dicenda fuerunt, ea moderatiores homines, & æ-  
quiores inter Pontificios non tangunt, non angunt, sed  
tantum illos perstringunt, & vulnerant, qui ira furiosi,  
& odio nostram in religionem planè rabidi inferis su-  
pera miscere, & ruina hoc incendium restringere cupiunt,  
nec in puppi desidentes perire verentur, modo prius ad-  
versarios in prora demersos videant. His viris sangui-  
num & dextra, & sinistra occurrendum, neq; ferendum,  
ut miserorum in hominum conscientias, in quas soli Deo  
est imperium, & harum sub prætextu in corpora quoque  
cædibus, & in bona rapinis debacchentur.

Hæc, mi Dn. Doctor, cum memoria tuâ excidisse  
ante hæc Evangelici questi fuerint, jam cur non exul-  
tem, non tripudiem, non tuam amicitiam expetam, cum  
denuò legeris, denuò didiceris. Imò cum aule, & Mundo  
Hispanicè valedixeris, Que date à Dios mundo,  
pues no ay que fiar de ti, ni tiempo para gozar  
de ti? Etenim sic rectè Moguntinum dehortatus es, sic  
prudenter te servasti, sic bene deinceps aliis consules, eosq;  
efficies, sic lato, ac leto limine Sereniss. Ele-  
ctorem



Etorem tuum ad Sapientiam, & Virtutem duces, ut nūquam sit cōcessurus patriæ nervos externæ cupidinis contagione solvi, aut habetari, sic deniq; sincerè Ferdinandum Cæsarem edoces magnitudinem animi sui excitare, & humanum genus beneficio amplecti, ut nos, & NB: qui post nos futuri sunt, quiq; in longa posteritate inerunt, perpetuam nostram salutem, opes, honores, vitam, pacem ejus semper laudi, ac memoriæ acceptam referamus.

Non id volo, ne me non rectè percipias, ut persuadeam, nullum bellum esse gerendum. Erasmus quidem meus id alibi agit, ut ostendat, tumultus hos nihil aliud nobis clamare, quam omnibus iratum Deum. Non male. Nam consultius esset, concordiam, atq; pacem quo vis modo reducere, & stabilire, quam dum suam quisq; culpam non agnoscit, in alium rejiciens, aut alter alterum falsa criminatione, vel parùm probata inquinat, numinis iram magis exasperare. Quid enim aliud à nobis fit, quam ut nos mutuis morsibus non tantum non sanemus, sed gravius vulneremus? O miserandum pariter & erubescendum Germaniæ nostræ statum! Populus obmurmurat principibus, principes cuncta violant, vulgus oppedit suis sacerdotibus, quos ejusmodi ubique esse in proapatulo est, ut eis applaudant scelestissimi, pii suspirent, & ingemiscant. Adeo virtutis uberrimum alimentum nusquam est, sed eorum dignitas, & potentia vel ab improborum favore, vel à mediocrium modestia, vel à simplicium



imperitia, vel à bonorum tolerantia pendet. Interim  
 cur qui insano quasi impetu mortem ab alio intentatam  
 amplectitur, eum non ut <sup>aut rō x</sup> aduersus semetipsum, &  
 Rempubl. delinquentem damnemus, sicut excellentissi-  
 mus Rümelinus rectè, ac doctè disputat? Cur se inno-  
 centes jugulandos præbeant, qui experiuntur, & infeli-  
 cibus oculis intuentur, Hispanum suam felicitatem ex  
infelicitate publica quærere? Cur in naturã injurii vxor-  
 res, liberos deserant, in propria quasi viscera se viant,  
 & sibi metipsis mortem consciscant hostibus & aggresso-  
 ribus ad omnia conniventes? Itaque ut ingens malorum  
 pelagus inundet, simulatq; belli seua tempestas occupa-  
 verit, ut armenta abigantur, arva squalleant, segetes  
 proterantur, agricolæ trucidentur, villæ exurantur, ci-  
 vitates subvertantur, civium opes ad latrones, & sica-  
 rios transferantur, domus mæreant, opificum artes fri-  
 geant, patres lugeant, liberi ejulentur, opulenti faculta-  
 tes deplorent, virgines deflorentur, matronæ sterilescant,  
 leges sileant, religio proculcetur, humanitas rideatur,  
 morum sanctitas profligetur, fides concutiatur, literæ  
 exsibilentur, sacri deniq; & prophani nullum discrimen  
 appareat: tamen mala ista impotentie eorum asscribi,  
 quorum per varios illecebrarum motus volitans ani-  
 mus impudentiam crudelitati sociat, & defensionis sui  
 ipsius ratio constare debet, cum à Deo manus, & brachia  
 habeamus, ut & nobis ipsis, & aliis injuria affectis subsi-  
 dium



7  
dium feramus, ut maleficia è medio tollamus, ut his, qui-  
bus vis, & damnum adfertur, simus portus, & refugi-  
um. Idq; ut ratio doctis, sic necessitas barbaris, mos genti-  
bus, feris natura monstravit, ut omnem semper violen-  
tiam, quacunq; ope possent, à capite, à corpore, à prole,  
à vita sua propulsarent. Quid? Harprechtum,  
Hunnum, aliosq; nobilissimos legum Doctores consule,  
ii te docebunt, non tantum semetipsum, sed & alias per-  
sonas absque discrimine extraneæ sint vel necessariæ ad-  
versus invasorem defendere non modo permissum, sed &  
preceptum esse.

Verum enim verò ab hac opione tu discesseras, contra  
alios Lutheranos VVittebergenses, & Ienenses Theolo-  
gos senseras, Bohemos derelinquendos esse statueras, &  
occasionem Papistis præbueras differendi de Luthera-  
norum inter sese discordi concordia. Ideoq; minus mirum,  
aut culpandum foret, si Andreas Fornerus ollarem  
suum caseum Quint Evangelicum auctum rursus ex-  
cudi curaret, ut te quoque in exemplum adduceret, tu-  
amque <sup>à stercore</sup> lubricitatem traduceret. Ego quicquid  
hujus sit, vel erit, vehementer mihi nunc gaudeo, tibi a-  
nimitus gratulor, quod iterum in nostras partes te rece-  
peris. Ita te vivere, valere jubeo, & si placet, Episto-  
lam hanc à me profectam ut voluntatis meæ, charita-  
tisque erga te tesseram, & meritorum olim cum Deo,  
& tem-



Et tempore majorum sponforiam tabellam diligenter  
asservare.

Dabam Rostochii 1. Ianuarii Anni

1621.

ὅσος, ἡτι σφερο, ὅσος, καὶ ὅλ

HC 3878



HC





*ligenter*

**ULB Halle**

3

004 800 524



VDM









h. 33,41

EP

SCRIP

Muy illustres

x

ad, de

M A

V c  
3828

